

BARONES DE KIRCHBERG.

Vetustæ hujus familiæ à Kirchbergiis Bavariæ olim Comitibus originem repetentis, memoria celebratur in Ulrico Archidiacono Austriæ qui Friderico Babenbergensi Austriæ Duci Anno 1243. in litteris testimonium præbuit. (a) Hermannus à Kirchberg in alio documento de Anno 1274. (b) Albertus Kirchbergius in testamento Petri à Riedenthal Anno 1310. condito, (c) Conradus autem Anno 1349. in testimonium vocantur. (d) Idem Conradus à Kirchberg elocavit bona quædam Anno 1353. (e) & An. 1360. emtionis contractui testis interfuit vocaturque ibi, *Herr Conrad von Kirchberg Ritter.* (f) Idem bona quædam Anno 1353. conduxit (g) Sigismundus Kirchberger Castellanus in Mistelbach Anno 1442. (h) & in testamento Erasmi Hohenfelderî Anno 1449. condito, testis fuit. (i) Bernhardus à Kirchberg à Sigismundo ab Auersperg citatur Anno 1515. (k) Eidem castrum Viehofen cum appertinentiis à Margaretha Kirchbergia testamento relinquitur, cujus exemplum Anno 1510. scriptum est. (l) Agnes Wolfgangi Kirchbergii filia primis nuptiis cum Johanne à Müllvvangen, secundis cum Christophero à Gegenbürgen copulata fuit Anno 1522. (m) Ludovicus à Kirchberg inferioris Austriæ sub Marschallum egit Anno 1549. (n)

(a) *Archivum statuum. N. 7.* (b) *Ibi N. 72.* (c) *Ibi N. 69.* (d) *Ibi N. Ibi N. 392.* (e) *Ibi N. 447.* (f) *Ibi N. 605.* (g) *ibi N. 447.* (h) *ibi N. 2520.* (i) *ibi N. 2690.* (k) *Ibi N. 3538.* (l) *ibi N. 3543.* (m) *Ibi N. 3619.* (n) *Ibi N. 3744.*

CAPUT VI.

DYNASTÆ DE POLHEIM.

Inclyta Gens Polheimia ex vetustissimis Austriacis est. Pilgrinus namq; à Polenhaim (sic enim appellantur in antiquis Documentis) in Guelphonis Bavariæ Ducis confirmationis instrumento Monasterio Lambacensi Austriæ Superioris Anno 1073. dato, citatur cæterisque testibus summis Viris præponitur, qui sequenti ordine collocati reperiuntur; (a)

- Pilgrinus de Polenhaim.
- Berengerus de Capella.
- Gundaccarus de Styra.
- Marquardus de Bussuvans.
- Diethericus de Truna.
- Hertricus de Lengenau.

Mar.